



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XL. Bononien. fideicommissi de Cataneis. An sub nomine legatimorum hæredum de familia, in dispositiva vel in conditionali venia[n]t fœminæ, vel masculi ex fœminis procreati; Et quandò ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

de casu ad casum ex latè collectis per *Fufar.*

quest. 460.

Potissimè autem aliqua diversitatis ratione accedente, quod scilicet stante reservatione ususfructus ad favorem donatoris, dicta artificialis renovatio agnationis, ac familiæ sequi debebat post mortem ipsius donatoris, quando deficiente veritate intrare debebat fictio, unde meritò præmoriante primo vocato, provisum fuit cum vocatione alterius, qui ita primus remaneret, dictam renovationem facturum potius tanquam per vulgarem, quæ ita evanuit per effectuationem in primo vocato, quam per fideicommissariam verè non ordinatam, ac regulariter non præsumendam; Et sic rectè intrare videbatur vulgare dictionem Joannis Andreae, *Fideicommissum de te non loquitur.*

Deducta etiam fuit in exclusionem fœminæ distinctio, de qua *disc. præcedenti* inter dispositionem per ultimam voluntatem, & per contractum, sed objectum tollebatur cum eadem responsione, de qua *eodem disc. præcedenti*, quam cum ibi deductis in hac disputatione quoque dabam, & ex his iustam beneque fundatam credidi secundam resolutionem.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE CATANEIS.

PRO

SULPITIA ET HYPOLITA
DE CATANEIS.

CFM

JOANNE BAPTISTA
DE S. PETRO.

*Casus decisus per Rotam pro Joanne Baptista,
postea concordatus.*

An sub nomine *legitimorum heredum de familia*, in dispositiva vel in conditionali veniant fœminæ, vel masculi ex fœminis procreati; Et quando existentia de facto personarum generis in conditione positi, licet non succedant, impedit purificationem conditionis. Sive an genus in dispositiva vel conditionali contentum, ac aptum comprehendere omnes, restringatur ad personas prius expressas, ubi præsertim obstat dispositio, vel ratio *text. in l. cum avus, & l. cum acutissimi*; Et aliqua de suspensione donec, durat spes vel potentia existentie personarum de genere prius vocato.

Cardin. de Luca de Fideicommissis.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti Series.
- 2 **F**emina etiam nupta, vel moniales sunt de familia, & veniunt post masculos in fideicommissis etiam agnatiis, & num. 12.
- 3 **I**n specie de moniali.
- 4 **A**mpliatur etiam si testator dicat intelligere semper de masculis.
- 5 **M**asculi ex fœminis veniunt appellatione legitimorum heredum, & de ratione.
- 6 **I**n fœdis qui veniant appellatione, seu sub nomine legitimorum heredum.
- 7 **D**onec superest spes, vel potentia existentia personarum de linea dilecta successio stat in suspensio.
- 8 **E**xistentia personarum de genere posito in conditione impedit purificationem conditionis licet, illa non succedant.
- 9 **D**os debita puellis in vim Auth. res qua, an sit constituenda ex fructibus.
- 10 **A**d quem spectent fructus donec successio vacat, & est in suspensio.
- 11 **R**esolutio cause, ejusque fundamenta.
- 12 **D**eclaratur conclusio, de qua num. 2.
- 13 **D**e alia declaratione conclusionum, de quibus num. 7. & 8.
- 14 **V**t nomen legitimorum heredum non conveniat masculis ex fœminis.
- 15 **Q**uod resolutio non placeat, & expenditur declaratio, de qua num. 12.
- 16 **N**on admittitur fictio, ubi adest veritas.
- 17 **A**d materiam l. cum avus, & l. cum acutissimi.
- 18 **D**e eadem materia dictorum jurum.
- 19 **D**e conclusione de qua num. 11. & 12. ut sub genere posito in conditione non veniant, nisi persona supra expressa.

DISC. XL.

Balthasar de Cataneis, instituto hærede Alexandro filio, perpetuum successivum fideicommissum ordinavit de hæredibus in hæredibus masculis, exclusis fœminis cum illis verbis, *Maschi non femine per niente*, ubi verò non existerent amplius hæredes legitimi de Cataneis, mandavit assumi unum puerum de Bardis, qui familiam testatoris assumeret, eoque non extante, alium puerum magis attinentem sanguini Cataneorum, pluries repetita ratione, ne domus seu familia deficiat; Cum autem defecisset Hypolitus testatoris trinepos, ultimus de linea masculina, superstitibus Sulpitia & Hypolita filiabus pupillis, nullòque existente de familia de Bardis; Hinc prætereundum coepit Joannes Baptista de Sancto Petro pronepos Ursinæ de Cataneis dicti Alexandri primi hæredis filia, factum esse casum fideicommissi ad ejus favorem, unde iudicium instituit contra prædictas Hypolitam & Sulpitiam; Et introducta causa in *Rota coram Bourlemont.*

Scribens pro dictis fœminis reis conventis, ex duplici fundamento credebam actoris petitioni locum non esse; Primò ob existentiam dictarum puellarum impediendum purificationem dictæ conditionis non existentie legitimorum heredum de Cataneis, cum ipsæ essent legitimæ hæredes de dicta familia, atque hodie recepta conclusio sit, (quidquid antiquiores dubitaverint) etiam fœminas

I 3

quam-

quamvis nuptas, vel Moniales, multò magis ac indubitanter adhuc innuptas, defectis masculis agnatis, ac in subsidium, ordine præpostero dici agnatas seu legitimas hæredes de familia, & succedere in fideicommissis ac primogenituris, quantumvis agnatiis, atque pro familiæ conservacione ordinatis, cum hæc circumstantia sit considerabilis linea masculina durante, & in concursu agnatorum masculini sexus, non autem istis defectis etiam ad impediendam bonorum libertatem & fideicommissi expirationem; Multò magis & absque dubio ad impediendam ulteriorem substitutionem diversi generis personarum ab agnatione extranei, ex deductis, cæteris relatis, per *Fusar. quest. 352. num. 12. & 42. & per totum Gionagn. conf. 11. num. 11. & sequen. lib. 2. Buratt. decis. 596. num. 5. plenè Rota decis. 133. num. 6. & 9. cum sequen. par. 9. rec. in Eugubina fideicommissi coram Dunozerro inter suas decis. 837. & 853. repetit post Paitell. decis. 9. & 10. & in specie de moniali in Romana fideicommissi de Carpianis 13. Januarii 1651. coram Verospio decisione 40. post Censal. in add. ad Peregr. & in aliis pluries, ac habetur frequenter infra hoc titulo super inclusione vel exclusione feminarum.*

4 Quod aded constanter Rota quandoque tenuit, ut idem firmatum fuerit in *Bonon. fideicommissi coram Pirovano decis. 249. par. 7. 165. par. 8. & in eadem coram Rotas inter suas decis. 90. ubi testator expressè vocaverat solum masculos, ibi, intendendo sempre di maschi*, quoniam intelligitur donec extiterint, atque circa prælationem non autem circa omnimodam exclusionem.

5 Et secundò, quod ubi etiam per dicta aded expressenata verba feminarum exclusiva ipse sexus femininus inhabilitatus esset, adhuc tamen sub dicto nomine *legitimorum heredum*, defectis lineis masculinis, atque cessato dicto concursu, venire deberent masculi ex dictis feminis procreandi, quoniam cum deberet familia fidei seu artificialiter renovari, atque concursus esset cum extraneo vel remoto cognato de diversa familia, etiamsi dictum vocabulum, *legitimorum heredum*, ex testatoris iudicio restrictum esset ad sexum masculinum, adhuc conveniret dictis masculis cognatis procreatis ex femina agnata, ex iis, quæ cæteris plenè collectis habentur apud *Gionagn. dicto conf. 11. Belion. jun. conf. 72. & 73. Marta conf. 61. Rota decis. 6. par. 1. & decis. 15. par. 2. divers. & satis frequenter præsertim in Bonon. fideicommissi de Barberiis, in altera Bononien. fideicommissi de Amorinis, & in altera Bononien. fideicommissi de Volia, in Parmen. fideicommissi de Garziis, disc. 28. cum tribus seqq. occasione articuli, an huiusmodi masculis obstaret necne duplex medium femininum; Cumulando in idem ea quæ habemus apud utriusque Siciliae feudistas super intellectu illius investituræ feudalis conceptæ pro se & heredibus ex corpore legitime descendentibus, quæ verba æquipollere videntur istis *legitimorum heredum*, ut etiam feminis vel feminarum filiis convenirent, de quo habetur etiam particulariter actum in *Mantuana successione sub titulo de feudis disc. 53. ubi difficultas residet in duplici discreta forma, ut ibi.**

7 Et quamvis ex istis feminis utpotè adhuc puellis in pupillari ætate constitutis, nulli superessent filii, adhuc tamen dicebam sufficere potentiam seu spem illorum procreationis, ex conclusione in fideicommissis præsertim simplicibus receptissima, (cum sola difficultas licet minus probabilis cadat in primogenituris ac majoratibus) ut nunquam aliud quod genus defectum seu evacuatum dicatur, do-

nec illius spes seu potentia adest iuxta *conf. 194. num. 5. Romani cum concordam. plenè deductis per tam decis. 593. par. 2. rec. apud Buratt. decis. 169. num. 13. Surd. consil. 125. Franch. decis. 169. num. 1. latè Castill. lib. 5. contror. cap. 91. cum aliis supra Ferrarien. fideicommissi, & in altera Bononien. primogenitura de Luparis disc. 7. & 9. interim hæredes remanere debente in pendulo seu in suspensio.*

Idque clarius in hac facti specie ex circumstantia, unde dicta suspensio congrua, & oportuna erat; Primò scilicet, quia ubi est testatoris iudicio ipsa femina exclusæ essentia in cessione, adhuc tamen illarum existentia sufficiebat ad impediendam purificationem conditionis, sub qua actor vocatus erat iuxta celebratam ac in materia magistralem decisionem in *Romana deicommissi de Sorciis coram Carillo inter suas decis. 266. repetit. apud Manzum consil. 80. cum de quibus in alia Ferrarien. disc. præced. in fine, etiam niam stant benè simul aliquem non esse futurum, & tamen impedire purificationem conditionis.*

Et secundò, quod ita interim ex cumulo dictum suspensionem durante faciendò, iuxta voluntatem testatoris, ac meliorem bonorum conservacionem, & ne illa patereatur detrahatur in sorte principali, poterant detrahi dictis puellis ex fideicommissis debita ex dictis in *Auib. res qua Cod. commun. de legat. Licet magis communiter in foro receptum sit non detrahi puellas huiusmodi fructuum cumulum expectantem quamvis à testatore demandatum, sed postea detractionem dotis in tot bonis in sorte principis ut ad materiam dictæ Authenticæ habetur *sub titulo de dote, præsertim 38. & 145. Accur ut ibidem habetur, id cessat quando cum fructibus consuli potest, quia nempe huiusmodi cumuli dilatio non causet puellæ præiudicium, viduitatem ex collectis per *Fonanel. de p. claus. 5. gloss. 1. par. 2. num. 76. Fusar. quest. 119. Giurb. observ. 89. num. 14. Rota decisio 37. par. 17. cum seq. post Merlin. de pignor.***

Atque id substitui pluries in his terminis præsertim in una *Romana fideicommissi de Lucatili* sputata coram A. C. adversus creditores masculi prætendentes ob omnimodam incapacitatem feminarum, quod donec procrearentur eisdem masculi vocati, fructus ad ipsorum crediturum seu hæreditatis debitoris committendum deberent, Dicebam enim, atque ita iudicatum fuit, durante hac suspensione verius esse fructus spectare ad gravatum, cuius jus resolutum esse, cumulandos esse ad favorem vocati qui sperat vel eo non existente, alterius qui expectat, ut pluries supra & infra habetur, ideoque multo dictos fructus in istam causam erogandos esse.

His tamen non obstantibus, propolita causa per dubio, *An constaret de fideicommissis purificationem favorem dicti Ioannis Baptista actoris, sub die 27. Julii 1662. affirmativa prodit resolutio, confirmata occasione disputationis habitæ super nova sententia sub die 11. Decembris ejsdem anni coram eisdem, neque causâ ulteriorem progressum habent, quæ dictarum pupillarum tutores ac administratores ad quandam concordiam devenerunt, etiam plures aliarumque decisionum secunda, longè post hæc registrata habetur inter consultationes *Manzumi. sult. 78.**

Resolutionum fundamentum totum fuit in limitatione, seu cessante applicatione dictarum conclusionum, quæ in utraque decisione admittuntur regulariter veræ; Quatenus enim pertinet ad primam conclusionem de fœminis post defectos masculis venientibus sub nomine agnatorum, vel consimilibus vocabuli, illa dupliciter limitatur, Primò ubi habita est ratio agnationis cum tractu successivo conservationis familiae, cum tunc exclusio fœminarum adjecta in primo substitutionum gradu seu ordine, repetita censeatur in aliis gradibus, ita ut sub vocabulo generali apto eas comprehendere, illæ non veniant, tam in dispositiva quam in conditionali, cum hæc præsertim intelligatur de illis personis prius vocatis, non autem de exclusis ex autoritate *Socii junioris conf. 69. num. 30. cum seq. lib. 3. Peregr. conf. 23. num. 7. lib. 3. Gæbr. conf. 132. num. 55. & 56. lib. 1. & conf. 69. num. 5. & 30. lib. 2. Rota dec. 237. num. 4. & 5. par. rec. Bonon. fideicom. de Amorini 30. Maji 1659. Melio, alia Bononiens. fideicom. 16. Januarii & 23. Martii 1662. coram Verospio de qua disc. 71.*

Et secundo, ut ea quæ dicuntur de personis in uno substitutionum gradu seu ordine exclusis venientibus sub vocabulo generali adjecto in alio gradu, seu posito in conditione, vel ad effectum successionis, vel saltem ad effectum impediendi purificationem conditionis, procedant ubi agitur de exclusionem determinata in certis casibus, secus autem ubi est generica omni casu & tempore, atque ut nostri dicere solent, pro regula, ex pluribus auctoritatibus in eisdem decisionibus; præsertim in prima deductis, Atque in secunda decisione, respondendo ad aliud motivum potentiaæ seu separatæ existentiaæ masculorum ex eisdem puellis procreandorum, & consequenter, quod successio istare deberet in suspenso, admittitur conclusio tanquam vera in fideicommissis, insinuata solum obiter per verbum *quidquid sit*, difficultate cadente in primogenituris, Verum negatur applicatio ad factum circa spem seu potentiam, ex eo quod sub nomine *legitimorum heredum de Catanis* non venirent nisi agnati de familia ob expressionem dicti cognominis, dum masculi per fœminas procreati, utpote patris, non autem matris familiam sequentes, exituri non essent agnati & de familia.

Mihi reflectenti ad veritatem, non placebat prima limitatio repetitionis exclusionis in aliis substitutionum gradibus vel ordinibus ob contemplationem agnationis, in aliis quoque gradibus vel ordinibus continuantem, ex claro defectu applicationis ad casum; Id enim admittendum veniret, quando continuaret eadem ratio veræ agnationis, quia nempe defecta una linea agnatorum, puta de familia effectiva, vocarentur alii pura de contentiva, undè mixtura fœminarum, vel descendendum ab eis rumpere filium continuantem bonorum in eadem familia & agnatione contra testatoris voluntatem, de facili ita intelligendam, utpote adaptatam antiquo juri Romanorum contento in legibus 12. tabularum, ac in Pandectis & Codice, alterato solum per jus novissimum, juxta mores Græcorum conditum sub Iustiniano in Græcia, Italorum moribus non adaptatum, ut occasione statutorum excludentium fœminas pluries advertitur *sub tit. de success. ab intestato*, ac etiam *sub tit. de testamentis*, præsertim in una *Tuderina*, Sed ubi defecta omnino agnatio vera, agitur de diverso ordine vel gradu substitutionum ad favorem cognatorum vel extraneorum, tunc quamvis in illis continuet apud testatorem eadem con-

templatio agnationis seu affectio erga proprium cognomen ac familiam ob demandatam illius artificialem renovationem, attamen hic rigor vel repetitionis exclusionis fœminarum, earumque descendendum, sive earum non comprehensionis sub vocabulis aptis eas comprehendere, nullum videtur habere juris vel rationis fundamentum, quoniam donec ipsæ vivunt, naturaliter ac verè sunt agnatae & de familia, ut in specie ita respondendo motivo contemplationis agnationis advertitur *d. de vis. 40. post Censal. ad Peregr. nu. 8.* Et quidem prorsus improprium est, ut extantibus personis de agnatione ac familia vera, istis exclusis, admitti debeat penitus extraneus de familia ficta, cum hujusmodi fictiones seu artes, non concurrente plusquam clara voluntate testatoris locum habere soleant vel in subsidium, ac in totalem defectum veritatis vel ubi ratio sanguinis magis urgeat juxta casum de quo *disc. 25.* non autem ipsa veritate adhuc præexistente, cum ipsa natura in hoc repugnare videatur, ut veritas cedat locum fictioni, atque agnatus verus descendens testatoris & proximior defuncto de linea admilla, excludatur per agnatum fictum & artificialem ac remotiorem, tam inspecta persona gravantis quam gravati.

Et quamvis e converso satis urgeat illa effrenata exclusio explicata per ea verba annihilativa, *semine per niente*. Attamen ponderabam idem procedere in decisionibus de quibus *supra num. 4.* ubi dispositum fuit intelligi semper de masculis, quod sonat in idem; Atque saltem præmissa omnino recipienda mihi videbantur quoad masculos ab eis procreandos, utpote æque benè familiam ita fictè ac artificialiter renovaturos; Et consequenter quod ducto etiam argumento à dispositione vel ratione textus in *l. cum avus ff. de condit. & demonstrat. & leg. cum acutissimi Cod. de fideicommissis*, de quo *supra disc. 31.* non videretur subesse ratio nec legalis nec naturalis, quæ hujusmodi masculos excluderet, ut admitterentur alii masculi remotissimi seu penitus extranei pariter de diversis familiis, unde propterea intellectus non de facili acquiescere poterat hujusmodi resolutionibus, quæ videbantur vel parum probabiles, vel saltem nimis asperæ, nimiumque legaleiurum rigorem continentes.

Eoque magis in hac opinione me confirmavi, quando ad plures annos post has disputationes Rota admittendo distinctionem inter masculos ex fœminis mediatos vel immediatos, de qua in supra allegatis tribus causis Bononiens. de Barberis, de Amorini, & de Volta *disc. 29. cum duobus seqq.* in hac ultima amplectitur motivum deductum ex dicta *l. cum avus & l. cum acutissimi*, ut supra dicto *disc. 31.* Undè propterea non videbatur, quomodo istæ resolutiones cum illis possint esse compatibles, quia magis in isto casu quam in dicto alio de Volta istarum legum dispositio vel ratio intrare videtur, ut ibidem etiam advertitur.

Prout aliquod æquivocum contineri videbatur in altera conclusione, ut genus magis generale positum in conditione, restringi debeat ad personas prius vocatas, & non ultra, juxta ea quæ particulariter super hoc puncto habentur in eadem Bonon. fideicom. à Sala, *disc. 71.* ubi de hoc puncto utpote ibi particulariter tractato videri potest; atque ibi deducta, pariter ac fortius huic etiam casui conveniunt; Atque in casu de quo in supra allegata Romana fideicommissi de Soricis coram Carillo exclusio religioforum erat pariter effrenata & generalis quocunque tempore quocunque casu, & sic etiam per viam regulæ,

LUCA
de
armentis
teat
CVI



ibi per nium. tempo non possino ereditare, & tamen firmatur eosdem religiofos venire sub vocabulo generali familiæ vel lineæ, saltem in parte conditionali, ac ad effectum impediendi purificationem conditionis; Ideoque videbatur, quod vel in uno, vel in altero casu veritatis assistentia deficeret, cum hæc videatur incompatibilia.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE GLORIERIIS

PRO

SOCIETATIBUS SANCTISS. TRINITA-
TIS PEREGRINORUM.

&

B. MARIE CONSOLATIONIS

CVM

PORTIA GOTTARDA DE
PALLAVICINIS.

Casus decisis per Rotam pro Portia.

De eadem materia, An scilicet in defectum masculorum vocatio censeatur de feminis agnatis per masculos immediatè procreatis, vel etiam de feminis cognatis & per feminam descendentes, ipsarumque feminarum filii.

SUMMARYM.

- 1 **F**Acti series.
- 2 De excludenda repetitione qualitatis masculina.
- 3 Vocatis feminis an censeantur etiam vocati ipsarum filii & descendentes, declaratur num. 8.
- 4 Vocatis feminis, an censeatur vocatio ad solas feminas agnatas restricta.
- 5 De dictione, videlicet, quid operetur.
- 6 De differentia inter verbum feminæ & verbum mulieres.
- 7 De ratione, ob quam testatores solent feminas agnatas vocare, & ipsarum filios spernere.
- 8 Declaratur conclusio, de qua num. 3.
- 9 In dubio pro descendentes vel illi de sanguine contra loca pia.

DISC. XLI.

Cæsar Glorierius instituit in ejus testamento Julio & Carolo filiis, substituit eorumdè filios masculos, nepotes, pronepotes ac alios quomodolibet ex eis descendentes in infinitum, deindeque adjiciens alienationis prohibitionem respectu stabilium suam voluntatem explicavit, ut ea perpetuò remaneant in filiis masculis & legitimis dictorum hæredum, & moriente uno ex eis sine filiis succedant alii superstitibus, masculi & non feminæ, quia voluit, ut per-

petuò bona remaneant in domo de Glorieris, videlicet, in masculos, & in defectum masculorum feminas, & quando deficerent legitimi de dicta domo deficiant, tunc testator vult, quod filie feminæ non vocatis masculis de domo Glorieris succedant, & locis suis mulieribus substituit Societates Hospitalis, Trinitatis Peregrinorum, & Consolationis &c.

Ex dictis duobus hæredibus. Carolus defunctus, qui prole masculina superstiti Felice filia feminæ que Portiam pariter feminam procreavit, ex illa autem fuit superstes Joannes, in quo in vim dictæ ciproce substitutionis omnia bona conservata sunt, eoque demum absque prole defuncto, causa est controversa inter dictas Societates ultimo loco substitutas, & Portiam testatoris ut supra defunctæ, cui scilicet eorum hæc fideicommissaria successio aperta esset, & introducta causa in iudicium coram Emerix, me pro dictis Societatibus scribitur nullo tamen prævio causæ examine in Advocatorum congressu, ut in gravibus negotiis factis habili est stylus, sub die 28. Martii 1664. ad favorem Portiæ prodiit resolutio declarans eam in parte Testamenti partibus vocatam, Primò nempe generica vocatione nepotum, pronepotum, & quorumcumque descendentes, sub quorum nomine veniunt tam masculi quam feminæ ex hoc restatissima propositione, quod in ultimis voluntatibus masculinum concipit femininum, ideoque filii collectivis nominibus æquè veniunt masculi ac feminæ, præsertim cessante masculorum concipit exclusionem ulterioris substituti, ut ad satisfactionem colligit Rota in Spoletana bonorum 13. Aprilis 1641. coram Corrado post Censuram ad Peregr. decis. 34. millesimante, quod in hac prima vocatione restatorem cesserit qualitatem masculinam, cum illa soltem de derata videatur in filiis primi gradus, ut probat verba superius registrata, non autem in nepotibus pronepotibus, & ulterioribus descendentes, quibus repetita non censeatur qualitas masculina dum illa adjecta non est in principio, vel in fine vocationis, itaut ad omnes referri possit, sed in medio post unum gradum generis vocati, ut latius in dicta decisione deducitur, Ubi etiam ponderatur illud verbum quomodolibet in descendentes adjectum quasi quod tanquam generale ac effrenatum non capiat, atque impediatur repetitionem qualitatis masculinæ unum tantum gradui adjectæ.

Ac ulterius ultra dictam primam genericam vocationem, sub qua feminæ etiam dicuntur implicite vocatæ, ponderavit Rota pro altero fundamento explicitam vocationem feminarum in defectum masculorum ordinatam, in illis verbis, & in alio alium masculorum feminas, & in illis aliis verbis, proximus masculus succedat, & nullo valente, vel moriente succedant femina. Ac demum quod litteræ feminæ positæ fuerant in conditione ad exclusionem dictorum aliorum substitutorum in defectum mulierum, ut literaliter probant illa verba, & in illis mulieribus, substituit &c.

Ad Argumentum verò per me deductum ad probandum Testatorem, vocasse quidem litteraliter feminas, sed solum agnatas & de domo, non autem cognatas ex ratione absurdi, quod nulli vocatis masculos cognatos ex eisdem feminis descendentes, itaut si Portia ædrix fuisset masculus, succedens non debuisset, ideoque minus femina cognata, contra omnem rationem melioris conditionis sexus inferior, & minus dilectus, Respondet ad hoc sio cessare argumenti præsuppositum, quia vocatio feminis, censeatur etiam vocati masculi eiusdem cognati